



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

Parisiis, 1644

Evgenivs Hortatvr lanvenses Vt Salvvmconductvm Graecis concedant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15490

ANNO
CHRISTI
1438.

Ceterum Eugenius post confirmationem decreti electionis Florentiæ vel Vtini, seu alterius loci in Italia pro celebrando Concilio cum Græcis, ad idem opus se accingens, apostolicas literas hoc eodem anno 1437. pontificatus sui septimo, pluribus direxit: & quidem Ianuenses hortatus est, ut saluum conductum Græcis concederent, nec non Sigismundum imperatorem, regesque alios, ut ea omnia facerent, quæ Græcorum in Italiam aduentui & vnioni cum Romana ecclesia profutura iudicassent. Capitaneum pontificiæ classis, ad eosdem Græcos in Italiam conducendos, constituit: saluum conductum eisdem Græcis, formamque procedendi in causis ciuilibus & criminalibus concessit: oratores in Concilio electos pro conducendis Græcis confirmauit, ac duos alios apostolicæ sedis nuntios ad eosdem Græcos transmisit: expensas pro ducendis & reducendis Græcis promisit, ut ex eiusdem Eugenii sequentibus apostolicis literis, earumque regesto Vaticano apparet.

EUGENIVS HORTATUR IANVENSES Num. VI.

VT SALVVM CONDVCTVM GRÆCIS
concedant.

*Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam
rei memoriam.*

*Dilecto filio nobili viro Thomæ de Campo Fregoso duci
Ianuensi salutem, &c.*

VIDEBIT tua nobilitas ex introclusa literarum apostolicarum hesternæ die datarum copia deliberationem factam, quod œcumenicum Concilium Florentiæ aut Vtini pro vnione ecclesiarum occidentalis & orientalis celebretur. Quare cum velint Græci prædicti pro eorum tutela & securitate saluum conductum habere a te, & illa communitate tua, eamdem tuam nobilitatem in Domino requirimus & hortamur, ut fieri facias, & nobis mittas prædictum saluum conductum in forma copiæ, quam mittimus introclusam. Datum, &c. pridie Kalendas Iunii, &c.